DECLARATIO
TABULÆ NONÆ.

NONA Tabula qvatuor illarum territorii urbis Bremanæ ultima Bederkeſanæ præfecturæ typum offert.

Hæc à reliqvis remotior ortum verſus Vordam Diœceſeos aſpicit: A meridie Geeſta fluvio navigabili terminatur: ab occaſu Viſurgim & Uuurſatos Friſios habet anguſto qvidem ſpacio in Viſurgis oſtio, ſed admodum ubere & fœcundo habitantes: Et ad ſeptentrionem Hadleriam, qvæ omnium hac in parte Germaniæ provinciarum frumenti feraciſſima Saxoniæ Duci magna ex parte ſubjicitur.

Habet autem Bederkeſa lacus undecim, & memora ac ſaltus qvadraginta. In hac etiam viſuntur multa monumenta gigantum & veterum Chaucorum Saxonumqve eximiæ molis lapidibus congeſta. Illorum forma in tabula ſeqventi manifeſtatur.

TA-